



Recollectio Spiritvalis

Masen, Jacob

Coloniae Agrippinae, 1691

Præfato Ad Sacerdotes, & Introvdctio Ad pium sanctúmque harum
Exercitionum usum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60213](#)



P R A E F A T I O

Ad

S A C E R D O T E S,

&

I N T R O D V C T I O

A d pium sanctumque harum Exercita-
tionum usum.

Magna, regalis, angelica, divina propè
Sacerdotii Christiani dignitas, quo se-
cundùm Greg. Naz. nec majus quic-
quam, nec præstantius apud nos est. Etenim S.
Anselmo in i. ad Tim. s. Præsbyter alti nomi-
nis persona ; S. Hilario in Ps. 138. Ecclesiæ lu-
men ; S. Dionysio divinorum judiciorum In-
terpres ; S. Ignatio M. in Dei domo veluti filius-
familias major, divinorum bonorum œcono-
mus, sociusque Dei appellatur ; ut proinde S.
Chrysost. de Sacerdot. miretur, reperiri quan-
doque posse aliquem, ex eorum numero, quibus
tanta illa fuerint concredita, cui ipsi munus su-
um sordescat, qui que donum sibi à Deo datum
despiciat. Videte igitur sacrorum majorum Or-

†

, dinum

dinum Candidati , quām recte Pontif. Rom. meditandum proponat , cum quanto timore ad tantum gradum ascendendum sit , atque providendum , ut cælestis Sapientia , probi mores , & diuturna justitiae observatio ad id electos commendent , orante Ecclesia , ut , quem nullis suffragantibus meritis , sed divinâ clementiæ largitate cœlestibus mysteriis deservire fecit Deus , dignum faciat sacris Altaribus ministrum . Hanc probat dignitatem , & vestram acuit in ritè suscipiendo curam , toto fulgens Exodo sacrarum , quas Deus veteris adeò legis Sacerdoti constituit , vestium apparatus ; hanc illic ejusdem solemnissima Unctio ; Hanc (præter sublimitatem muneris , cui Principes seculi , modò Sapientes , quæ Dei erant , cum Constantino M. cum Rudolpho Austriaco , &c. pileos & coronas submisere semper) triplex supra Angelos ipsos potestas evehit , hisce à S. Hieron. ad Heliod. expressa . Qui Apostolico gradui succedentes Christi Corpus sacro ore conficiunt , per quos & nos Christiani sumus , qui claves Regni Cœlorum habentes quodammodo ante diem „ judicij judicant . In rem S. Chrysost. hom. 17. „ in Verba Isa. Attende modum potestatis utri- „ que (Sacerdoti , & Regi) traditæ , videbis Sa- „ cerdo-

„cerdotem multò sublimius Rege sedentem :
 „quanquam enim nobis admirandus videtur
 „thronus regius ob gemmas affixas, & aurū, quo
 „obcinctus est; tamen rerum terrenarum admi-
 „nistrationem sortitus est, nec, ultrà potestatem
 „hanc, præterea quicquam habet authoritatis:
 „verùm sacerdoti thronus in cælo collocatus
 „est, & de cœlestibus negotiis pronunciandi ha-
 „bet authoritatem: quis hæc dicit? ipse cœlorum
 „Rex: quæcunque ligaveritis &c. quid cum hoc
 „honore conferri possit? à terrâ judicandi prin-
 „cipalem authoritatem sumit cœlum: dicit verè
 Trull. Syn. omnium ferè græc. PP. can. 7. secula-
 ribus, & mundanis dignitatibus spiritales præ-
 stantiores scimus; verè S. dicit Greg. Nyss. Sacer-
 dotis consecratio illud reddit augustum & vene-
 randum; Cyrillus etiam sacerdotium omnium
 ore celebratum deprædicat; & Concil. Sardic.
 can. 20. divinum atque imprimis venerandū sa-
 credotii nomen: quid Trident. sess. 14. c. 5. ait? Do-
 minus noster JESUS Christus è terris ascensurus ad
 cœlos Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tan-
 quam præfides, & judices, ad quos omnia mor-
 talia crimina deferantur, in quæ Christi fideles
 ceciderint, qui pro potestate clavium, remissio-
 nis, aut retentionis peccatorum sententiā pro-

nuncient. Sic & c. o. & less. 22. can. 2. Si quis dixerit, illis Verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliquique sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum, anathema sit. An igitur sine jure sacerdotium dicitur à S. Ignatio M. omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apex, & S. Ambr. Deifica professio, & S. Aug. in psal. 103. Sublimes Angeli Dei, quamvis adhuc in carne mortali sacerdotes sunt; eosque utilidorus pelus. l. 2. ep. 291. pretiosâ coronâ sacerdotii redimitos extollit; ita S. Nilus testatur, quod sancto sacrificante Chrysostomo cœlo delapsæ mentes, (angelicæ) stolis induitæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum silentio circumstiterint: ô sacrificia mittentes incruenta sacerdotes! ô animarū custodes gloriosi! ô magnificum Dei manibus in vestris ferentes, exclamat Greg. Theol. ô miraculum stupendum! altius exclamat S. Ephrē „de sacerdotio: ô potestas ineffabilis! ô tremendum sacerdotii mysterium, spiritale ac sanctū, „venerandum & irreprehensibile, quod Christus „in hunc mundum veniens etiam indignis im- „pertitus est, genu posito, lachrymis, atque suspi- „riis oro, ut hūc sacerdotii thesaurū inspiciamus,

„thesau-

„thesaurum inquam his, qui eum dignè , & san-
 „ctè custodiunt. Inspiciamus altâ mente, in altissimâ dignitate , altitudinem divitarum sapien-
 tiæ, & scientiæ Dei. Inspicite & vos mysterii tan-
 ti, tanti in ecclesiâ dei ministerii candidati : nec
 verò patiemur quempiam , aut feremus incul-
 tum, qui quasi homo, qui tentet Deum, in tem-
 pli velit pinnaculum , ad jactantiā , & temerita-
 tem, sacris ideo advolare Altaribus, quo medul-
 lam cedri tollat de Libano rapax aquila , id est,
 vel sui à pauperie extrahendi, vel fovendæ ad ge-
 nium cuticulæ lautiùs , ecclesiasticos à bene-
 ficio, sive præbēdâ census emendicare ad laboret
 potiùs, quàm paratum clericali continentiæ ,
 gravitati, sapientiæ, sacrarūmque peritiæ litera-
 rum (quarum magis, quam politices mundanæ,
 quam novellarū, quàm unius curandæ domesti-
 cæ rei, labia sacerdotis , quæ custodiunt scienti-
 am) & corpus , & mentem excellentiæ sacerdo-
 tali copulare.

Vos verò, ex S. Basilio, considerantes, quòd,
 „qui circumfert characterem Præsbyteri , par-
 „esse , eum vel maximè esse irreprehensibilis vi-
 „tæ, discite ab Ambr. nihil in sacerdotibus ple-
 „beium requiri, nihil populare, nihil commune
 „cum studio, atque usu , & moribus inconditæ

„multitudinis; sobriam à turbis gravitatem, seri-
 „am vitam, singulare pondus dignitas sibi vendi-
 „cat sacerdotalis: quomodo enim potest obser-
 „vari à populo, qui nihil secretum habet à popu-
 „lo dispar à multitudine. Jam si juxta Synesium,
 sacerdotem convenit per omnia esse immacula-
 tum, quia, ut vult Clemens Alex. sanctus fit initi-
 atus; hortatu item S. Isidori, Sacerdotes debent
 esse sanctiores, & puriores iis, qui ad montes se
 contulerunt, tum Nazianz. malos, vocet spurious,
 nothos, & perperam adscriptos sacerdotes, nos
 iis incitati monitoribus, totis meritò visceribus,
 ex corde, hortamur omnes (secus, neminem ad-
 missuri) ut dierum aliquot, ante majorum ordi-
 dinum susceptionem, secessu, piarum me-
 ditationum indicio atque ductu, quos in
 Ecclesiam adferre mores, quos exuere ante
 illam oporteat, solertissimè inspiciant, qui-
 bus exercitiis, quæ omni semper hominum
 ætati, & ordini regiam perfectionis viam a-
 peruerunt, id agere Ordinum Candidatis in-
 cumbet, ut lingua illa, sanguinis toties
 corporisque vehiculum Dominici, ne in-
 fusis ad vomitum poculis, eructatis perju-
 riis, blasphemias, detractionibus, men-
 gaciis, aut, sive falso, sive malevolè, sive
abs

abs intentione, dictâ consecrationis , clavi-
umve sententiâ , aut denique paribus hæ-
resi in fide erroribus , ob crudam Sacrorum
ignorantiam , quadriga diaboli efficiatur :
ut manus illæ Agnum (ô si quotidiè non sic
lucri , ut pietatis gratiâ) contrectantes im-
maculatum , nec hircorum , vel taurorum ,
ut olim sanguinem offerentes , unctioneque
spiritali , charactere indelebili indice , uni ser-
vitio Numinis augustissimo , in frangendo pa-
ne Angelorum consecratæ , carnis unquam
sordibus pollutæ , consecrationis Episcopalis
honore, in usque judicii diem , fulgeant inta-
minato.

Quis dabit nobis , ut faciatis omnes ,
quod sanctus Laurentius docet Justinianus ut
sit prorsus omnis sacerdotum (à nobis initia-
rum) vita omnium magisterium fidelium , at-
que sanctitatis speculum. An verò vultis ,
ut vera sit querela sequens S. Gregorii Na-
zianz. orat. i. Inane jam nomen est sacerdos.
Væ vobis in die visitationis , si & vos feriat ful-
men Chryſostomi hom. 43. in Matth. multi sacer-
dotes , pauci sacerdotes ; multi voce , pauci re ; &

„m̄ajus illud S. Bernardi: Monstrosa res est gradus summus, &
 „animus imus; sedes prima & vita ima; lingua magniloqua, & ma-
 „nus otiosa; sermo muletus, & fructus nullus; vultus gravis, & ani-
 „mus levis; caput tācum, & cor vadum, quo de S. Paulinus ep.
 20. sic ingemis: robusti viciis, & virtutibus adhuc teneri; vix pas-
 cente ad justitiam voluntate tirones, & consumpta jam peccatis
 ætate Veterasti. Theophanis sententiam factis exprimit, ep. 3.
 dicentis, præsbyterum debere esse diu. nūm atque cœlestem, qui
 aliorum hominum conditionem longè prætervehatur: nihil enim
 (ait Salvianus præsbyter, quem Geonadius Magistrum episcopo-
 rum vocat) est eu. pius, quam excellētē esse quemlibet culmi-
 ne, & despicabilem vilitate... & ideo cunctos, qui sacri altaris
 suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum
 gradu: atque utinam in cunctis consecrandis, à virtute plus ni-
 mō subinde jam ante deviis, vera fiat. S. Aug. sententia in ps. 88.
 Hominem heri voraginem ebriositatis, hodie ornamentum esse
 sobrietatis; heri cœnum luxuriae, hodie decus temperantiae; heri
 servum creaturæ, hodie cultorem Creatoris; talēmque, juxta. S.
 Maximum cent. i. sent. 42 qui Deum casto amore prosequitur,
 angelicam inter homines vitam agit.

Quamobrem sacrâ aliquot dierum asceti, animique collectio-
 ne à sensibus ad Deum, meditando expendite sacerdotum ordinum
 candidati tanti ordinis dignitatē, & dignam tanta dignitate Vir-
 tutem attendentes. S. Aug. ad Valer. ep. 48. monitis, atque in eo-
 , dē nos mature vos cohortantes auscultate.. ante omnia, inquit,
 „pero ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, &
 „maximē hoc tempore, facilius, & lætius, & hominibus accepta-
 „bilius. episcopi, præsbyteri aut diaconi officio; &c perfundō-
 „ri, atq; adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius &
 „tristius, & damnabilis. Itē nihil esse in hac vita, & maximē hoc
 „tempore, difficilius, laboriosius, periculosius episcopi aut præs-
 „byteri, aut diaconi officio; sed apud deū nihil beatius, si eo modo
 „militetur, quo Imperator noster juber, militemus ergo Et vos, i.
 Petr. 2. genus electum, regale sacerdotium, gens sancta; de tene-
 bris vocati in admirabile lumen dei obsecro vos, abstinere vos &
 carnalibus desideriis, conversationem habentes bonam, ut
 ex bonis operibus vos considerantes, glorificant De-
 um in die visitationis,

